

evasit et universalior, quo fit ut cœteris collata, magis nobis arrideat. Ut tamen alicui possit esse universalis, debet is omnibus numeris absolutas esse geometra, qualis huc usque nullus apparuit....

3. TORRICELLI A MERSENNE.

1^{er} FÉVRIER 1647.

(Paris, Bibl. Nat., fonds latin, nouv. acq. 2338, f^o 6. — Florence, Bibl. Naz., *Discèpoli di Galileo*, t. XL, f^o 55.)

... Proxime præteritis mensibus autumnii incidi in Problema quoddam, propositum, ut ego audivi, ab illustrissimo viro de Fermat. Jubebat enim *datis tribus punctis aliud reperire ex quo tres eductæ ad data tria puncta, sint minima quantitas.*

Construxi problema, demonstravi determinavi que nam propositum fuerat sine determinatione. Solutio non una est : alia enim per doctrinam solidorum procedit, alia atque alia sine locis solidis per pura plana rem omnem absolvit. Si volueris demonstrationes, habebis vel ex me, vel ex Cavalerio, vel Magiotto, vel Renerio nostro (¹) ; cum variis enim amicis illas contuli quamquam facilis admodum contemplatio videatur. Doceas quæso num huiusmodi problematis solutio apud vos in vulgus exierit, an apud autorem hactenus lateat....

(¹) Les lettres de Torricelli à Vincenzo Renieri à Pise, qui contiennent la solution, sont datées de la fin de l'année 1646 (*Opere di Evangelista Torricelli*, ed. cit., vol. III, 1919, p. 422, 424, 426-428, 429-431). Voir pour la solution de Cavalieri l'Introduction, p. XIII. Une autre fut publiée par Viviani dans son ouvrage *de Maximis et minimis*, Lib. sec. (Florentiæ, 1659), p. 144-150.